

Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi supra dicti discipulus. LXX cubitorum altitudinis fuit hoc simulacrum, post LXVI annum terrae motu prostratum, sed iacens quoque miraculo est. Pauci pollicem eius amplectuntur, maiores sunt digiti quam pleraeque statuae. Vasti speculantur defractis membris; spectantur intus magnae molis saxa, quorum pondere stabiliuerat eum constituens. duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quae contigerant ex apparatu regis Demetrii relicto morae taedio obsessa Rhodo. Sunt alii centum numero in eadem urbe colossi minores hoc, sed ubicumque singuli fuissent, nobilitaturi locum, praeterque hos deorum quinque, quos fecit Bryaxis.

Factitauit colossos et Italia. Videmus certe Tuscanicum Apollinem in bibliotheca templi Augusti quinquaginta pedum apollice, dubium aere mirabiliorem an pulchritudine. Fecit et Sp. Caruilus louem, qui est in Capitolio, uictus Samnitibus sacrata lege pugnantibus e pectoralibus eorum ocreisque et galeis. amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Latari loue. E reliquis limae suam statuam fecit, quae est ante pedes simulacri eius. Habent in eodem Capitolio admirationem et capita duo, quae P. Lentulus cos. dicauit, alterum a Charete supra dicto factum, alterum fecit ... dicus comparatione in tantum uictus, ut artificum minime probabilis uideatur.

Verum omnem amplitudinem statuarum eius generis uicit aetate nostra Zenodorus Mercurio facto in ciuitate Galliae Aruernis per annos decem, HS || manipretii, postquam satis artem ibi adprobauerat, Romam accitus a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacro colossus fecit CXIX pedum in longitudinem, qui dicatus Soli uenerationi est damnatis sceleribus illius principis.

Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, uelut et de paruis admodum surculis quod primum operis instaurati fuit. Ea statua indicauit interiesse fundendi aeris scientiam, cum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset et Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli ueterum postponeretur.

Pline l'Ancien, Histoire naturelle, Livre XXXIV, 18
Source : Itinera Electronica